

perpetua et nunquam contaminata fide, fidelitate et devotione, in propaganda, et Armorum, et Sceptrorum Gloriosissimae Augustissimaeque Domus Suae Austriae felicitate, semper et constanter per praefatorum Regnorum Status et Ordines praestita Servitia, clementissime recognoscere; atque intuitu talium, fundamento etiam Benignissimi Diplomatis Leopoldini, eosdem extra casum summe urgentis Necessitatis, a supportandis Hybernis, Transennis item et Condescensionibus Militaribus exemptos, et immunes semet relinquere et conservare velle, benignissime resolverit; in eo Altefatae Suae Regiae Majestati praefatorum Regnorum Status et Ordines, immortales summa animorum cum devotione referunt gratias.

Articulus 113. Anni 1715. et Art. 88. Anni 1723. de Varasdiensi et Carlo-stadiensi Generalatibus confirmantur.

A r t i c u l u s 49.

Erga benignum Sacrae Regiae Majestatis Consensum et annuentiam Art. 113. Anni 1715. et Art. 88. Anni 1723. ulro confirmantur;

§. 1. Et siquidem ordinatae inibi Commissiones, circa interventos Militarium in Varasdinensi et Carlostadiensi Generalatibus existentium Excessus, debitum ad praesens effectum haud produxissent; eae per Sacram Regiam Majestatem fient Dispositiones, ut Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banus, cum illis, qui pro tenore citati Artic. 88. ad latus ejus denominabuntur; necnon Deputati praefatorum Generalatum, primo, quo fieri poterit, tempore consideant, atque insinuatos quosvis ibidem Excessus, pro justo et aequo determinent;

§. 2. Interea autem et donec illa Commissio conserderit, ac operari poterit; omnis facti Via sistetur; imo et recentius taliter occupata; Sacra Sua Regia Majestas restitui benignissime demandabit.

De Reincorporatione Inferioris Sclavoniae.

A r t i c u l u s 50.

Illud, quod formalitate supra in Articulo 18. denotata, ex inferiori Sclavonia Jurisdictioni Sacrae Regni Coronae reincorporabitur; Jurisdictioni Regni et Bani, clementer annuento Sacra Regia Majestate, juxta etiam Art. 118. An. 1715. subordinabitur;

§. 1. Ac una quoque Supremi Comites (in quantum denominati non essent) per Suam Sacram Regiam Majestatem, pro tenore etiam suprascripti Articuli 18. constituentur.